MARGARITA
IN
Anglia reperta

Pro pauperibus, afflictis, & dispersis, in Gentibus exteris.

A regali ſemine dei & Salvationis hæredibus, quos dictitant Quaſcos, qui ſunt eccleſia Dei viventis, coædificati ex vivis lapidibus in Angliâ.

Viſitatio & Unitio ad Margaritam Dei, quæ occulta latet in toto terrarum orbe; ut unuſquiſque in ſeipſum ſe convertat ibique illam ſentiat & inveniat.

G. F.

Pro Roberto Wilſon, *apud officinam ejus ad Aquilam nigram in* Martin *le Grand*, 1660.

Amici,

MArgarita in agro absconditur, & ager est mundus, & mundus est in corde vestro, & ibi vos oportet altius fodere ut inveniatis, & fodientes & invenientes oportet omnia venundare ad emendum & redimendum hunc agrum, & ibi cognoscetis mercatorem & mercem, & ibi cognoscetis Christum in vobis spem gloriæ, ad vos salvandos & redimendos, eum immanuelem Deum nobiscum; & ibi cognoscetis mulierem quæ perdidit nummulum & quæsivit extrinsecus; sed lucernâ accensâ, & purgatâ domu, invenit domi suæ ipsius & tunc cognovit gaudium, & abiens narravit vicinis, & tunc cognovit matutinam stellam in corde, & diem lucescentem, unde lux agnoscetur quæ splendescit ab oriente usque ad occidentem, & verbum fidei in ore & corde, & oleum est in lucernâ tuâ, si intres cum sponso, lux lucet in tuo ipsius corde, ut det tibi lucem gloriæ Dei in facie Jesu Christi unde venit, & unctio quæ manet in te docebit te, útque docet te manebis in patre & in filio, unde hæc sacra unctio venit, & cepisti eam; & hîc cognosces quòd non necesse habes, ut aliquis doceat, sed ut eadem unctio docet; & sermo insitus qui potest servare animas vestras, est in cordibus vestris, & occultus homo cordis, qui renovatur quotidiè invenitur ibi, & mitis & mansuctus spiritus, qui est apud Deum preciosus, invenitur in te, & pactum gratiæ quæ affert salvationem est in corde, & in ore tuo, ad sallendum illud & verba tua, & docendum te denegare omnem impietatem & cupiditates mundanas, & acervum illum docentium per cupiditates hominum constitutum in mundo, qui convertunt hanc gratiam in lasciviam, & ferociter vivunt, illa vero docebit te vivere sobriè. Diabolus abiit á veritate, & non

in eâ permansit, & gentes fefellit, & regnat in cordibus omnium filiorum inobedientiæ, qui non obediunt veritati, ille qui exiît è veritate, & ita fiunt Synagogæ Satanæ, & ita homicidæ. Cain abiit à veritate, Judæi abierunt à veritate, & ideò ex Diabolo; falsi Prophetæ, Antichristi intrinsecus ferocitârunt à veritate; atque ita omnes isti verterunt adversus justum, homicidæ; qui verò venit ad justum à quo isti ferocitârunt, super omnes istos hi regnant, & adducunt populum ad Deum, ad regnandum super istud quod est extra veritatem, & illi contrarium.

Vos omnes sublimè speculantes professores & Hypocritæ, Regnum Dei est in vobis, (simile grano sinapi, simile fermento) quod non venit per observationem vestram qui illud expectatione contemplati fuistis extra vos.

Margarita

Margarita reperta in Anglia.

VEnite vos omnes animæ defessæ, quæ fuistis peregrinantes jamdiu multis annis in diebus apostaseos à veris Apostolis et Discipulis, ubi tenebræ & fuligines super terram, quæ obcæcaverunt & caliginem objecerunt mentibus & oculis hominum, ministerio vero amisso a diebus usque apostaseos, unde concursus fecerunt homines in capita & partes et Sectas, veritate in injustitiâ retentâ, peccatum et inimicitia in uniuscujusque mente fuit, & alii alios trucidantes fuerunt pro religione, & de religione, & de cultu; quod non fuit opus verorum Christianorum, verorum Ministrorum, & verorum Apostolorum, sed colligere in unitatem; &t certârunt illi contra principalitates & potestates & spirituales impietates, quæ regnârunt in filiis contumaciæ, & adduxerunt homines ad illud cui in obedientes fuerunt: itaque inimicitiâ in omnibus animis professorum in omnibus terris existente, inter Christianos doctores, plebem, & principes, qui alii alios interficere student, et occidere, propter cultum, disceptantes de Scripturis, de prophetarum Christi & Apostolorum sermonibus, hîc Diabolus vetus hominis inimicus interrepsit inter professores lacessens occidere invicem, & deperdere, formulam quandam reservans verborum sanctorum, in Judæorum naturâ, qui retinuerunt formulam verborum prophetarum & *Moseos*, quos Christus dixit esse à patre eorum Diabolo; inter quos Margarita fuit amissa, sicut amissa fuit a diebus usque apostaceos a vitâ Apostolorum, à vitâ Christi, gentibus, quasi aquis, ignorantiâ superfusis, Prophetæ autem, & Christus & Apostoli fuerunt in unitate inter se in spiritu qui induxit eos Eloqui Scripturas istas quæ nunc professæ inter Christianos in orbe Christiano; hi verò extra vitam Christi, Prophetarum & Apostolorum manentes non habent vinculum pacis, unitatem; nam unitas est in Spiritu, qui est vinculum pacis, in quo fuerunt Christus & Prophetæ & Apostoli qui ediderunt Scripturas; Ideoque rixantur homines de verbis, formulis, traditionibus, inventis, idolis; nunc autem id manifestatur quod mundum comprehendit, quod fuit antequam mundus factus est, Christus Jesus pactum Dei qui illuminat omnem hominem venientem in mundum:

ut omnes per lucem crederent, & inveniant testimonium in seipsis, in quo homines tandem habent pacem cum Deo, & unusquisque accipiendo lucem quâ illuminatur accipit illum qui illuminavit, Jesum Christum, in suo proprio, qui donat eis videre servatorem animarum suarum, & scire servatorem animarum suarum, Christum Jesum a quo lux venit: nam dixit Deus, dabo eum, pactum, lucem gentibus, ducem populo; & faciam novum pactum cum domo Israelis et Judæ, (ijs qui habuerunt vetus) locabo leges meas in animis suis, scribam in cordibus suis, non opus erit dicere cognoscite dominum; quædam millia hominum in Angliâ testantur hoc pactum, ut non opus est illis dicere, cognoscite dominum, in quo habent unionem alij cum alijs, & pacem cum Deo, in Jesu Christo pacto ejus, & potentiam testantur, & persentiunt pactum lucis, ductorem, & pactum Dei præstitum, eum quem *Abraham*, *David*, & Prophetæ testati sunt venturum, eum quem Apostoli testati sunt quòd venerat, & surrexerat, is jam fruitione sentitur; in quo unio mutua habetur, & Scripturæ, & res eæ de quibus scriptura narrat, & Deus; & in luce, in illo per quem mundus est factus, nulla est occasio impingendi. Itaque pactum lucis quem Deus dixit se daturum, per Prophetas, ducem populi, viam ad patrem eum quædam millia testantur ducentem se ex priore *Adamo* exule à patre; qui est finis Prophetarum, & educens ad Deum, et est doctor eorum, & invenerunt eum in seipsis; & venerunt ad eum & invenerunt requiem animis suis, & animæ eorum habent requiem, & acceperunt in se Christi jugum, quod facile est, & onus ejus quod leve est, & ille factus Doctor eorum; & juga hominum, & onera, & institutiones, & doctrinæ jam desiêrunt ipsis, & abjiciuntur, quæ regnàrunt a diebus apostaseos ab Apostolis, & Margarita fuit abdita in terrâ reperta est, et stella matutina orta est, & dies illuxit, & lux splendescit, & sapientia illa (quam tota notitia, scientia & prudentia non possunt comprehendere nec investigare) clamat in plateis ad simplices, & ut omnes Deum vereantur, ut eam accipiant sapientiam Dei Christum Jesum, eum per quem mundus est factus, sapien-tiam illam per quam omnia sunt facta & creata, & ut veniant a peccato & transgressione in quibus mundus totus vixit, qui quandam formulam speciem habent pietatis, sed transgressi sunt à vitâ, & procul ab eâ rapaces fuerunt, & fuerunt in ovium indumentis, ubiq; tamen parati devorare agnos, quorum indumenta arripuerunt, superficiem, speciem pietatis, interiùs tamen fuerunt rapaces procul à vitâ, quos Christus predixit venturos esse, *Johannes* vidit quòd jamjam venissent, quos totus orbis terrarum jamjam sequutus est.

Ibi

Ibi igitur Margarita fuit abſcondita, & vita Chriſti, Prophetarum, & Apoſtolorum fuit amiſſa; & ſpeciem quidem retinuerunt; ſed vita & gloria orta eſt quæ manifeſtat & retiget omnia, & Eccleſias & doctores, qui non facti ſunt per voluntatem Dei, qui aſcenderunt poſt dies Apoſtolorum;

à talibus cunctis populum ſuum abducens eſt Deus, ut eos ipſe doceat, & à cunctis eorum viis, ad Chriſtum viam ad patrem, & à cunctis eorum eccleſiis, ad eccleſiam in Deo, columnam & fundamentum veritatis, & ſupra iſtas, & ad unctionem quæ permanet intrà, ad quam homines acceſſerunt, à quâ quatenus docentur, permanet in filio Dei & Patre, & non opus eſt iis, ut aliquis doceat eos, ſed ſicut eadem unctio docet eos, quæ manet in illis, & ut docentur ab eâ, manent in filio Dei, in ſapientiâ Dei, manent in vitâ & veritate, manent in pacto Dei, manent in potentia Dei, & petrâ Jeſu Chriſto, eo per quem mundus eſt factus, antequam factus eſt; in quo tandem habent homines pacem cum Deo, & inter ſe; & fundamentum multarum generationum inventum, & teſtatum eſt, quod demolit vinculum iniquitatis feciens demolitionem, inter Deum & hominem, quod reficit eandem demolitionem, unde ſalus & gloria & pax in collectione ſentitur; Electio cognoſcitur antequam jactum mundi fundamentum, quæ potita eſt promiſſo vitæ æternæ, & potentia vitæ non habentis exitum fruitione poſſidetur, & mundus venturus. Quocirca adeſte huc omnes per orbem terrarum diſperſi, n. potentiam Dei in vobis ſentite, adeòque ſentietis Chriſtum Jeſum qui illuminavit omnem hominem venientem in mundum, adeò ſentietis pactum fæderis quod vobis eſt cum Deo, quod delebit peccatum & transgreſſionem veſtram, adeò ſentietis ſanguinem Chriſti qui purgat ab omni peccato, quod lux detegit; quà ambulatis in luce, ut ille eſt in luce, & ſocietatem mutuam habebitis. Regnum cæleſte cernitur, quod eſt quaſi granum ſinapis, quod eſt intra, & permulti acceperunt illud, & fiunt tanquam parvuli, & qui converſi ſunt in regnum, promunt res ſuas novas & res ſuas veteres; & multi ſunt fodientes in agro, qui eſt mundus, qui locatur in cordibus ſuis, ſcrutantes Margaritam, & multi invenerunt, & multi mercatores ſunt cambientes, gloria Deo in æternum. Atque adeò Margarita eſt intra vos, ea reperta eſt, in gente Britannâ, & omnes populi in toto terrarum orbe introite in voſmetipſos, invenite in vobis-ipſis Margaritam, precioſiam illam Margaritam quæ ibi latuit ſubter terram, & exite è ſermonibus veſtris & profeſſione in verbis in quâ Judæi fuerunt, in quibus Margarita fuit abſcondita, ut reperiatis Margaritam in vo-

bis.

bis ipsis, & regnum ibi intra vos, licèt quasi granum sinapis; est quasi fermentum, fermentabit vos in novam massam. Institutiones ecclesiæ, notiones inanimatæ flacescent, & evanescent, ut flores, arescent, ut herba & marcescent exurentur ut stipulæ, quisquiliæ, & glumæ, quæ telluri fuerunt molestæ; triticum eruitur, collectum in horreum, agni exultant, pater ipse bajulat in manibus suis, infantes, qui nati sunt semine immortali per verbum Dei, & lactati sunt ad ubera, vivæ divitiæ sunt manifestæ, Deus pater cognoscitur, & colitur in spiritu & in veritate; in eâ re extra quam est Diabolus, sanguis Jesu est testatus, qui fluit & purgat ad omni peccato; fons recluditur & apertus est in quo est lavatio pro cunctis ulceribus; & Deus est adducens populum suum in vitam eam quæ edidit Scripturas, in quâ fuerunt Prophetæ, & Christus, & Apostoli, in quâ vitâ cernent eorum verba, & unitatem habebunt cum eis, & cum domino Deo, & inter se invicem; et verbum fidei possidetur, et cognoscitur in corde, in ore, quod dirimit preciosas cogitationes, a cogitationibus vilibus, et desideria preciosa est a vilibus, et affectus preciosos, a vilibus affectibus, et in ore ad dividendum preciosa verba, a vilibus verbis; et hoc verbum quod derimit preciosum a vili est vivum et potens, et acutius ambiguo gladio: Nam vile illud separavit a Deo, et verbum dividit illud vile, a precioso, malleo obtundit, exurit, dissecat, recònciliat patri, et separat illud quod separavit.

Adeoq; verbum Dei in vobis omnibus sentite, in cunctis vestris negotiis, sic habebitis verbum prudentiæ, illud dirimet preciosas vestras cogitationes, à vilibus, preciosa verba a vilibus, et hoc docebit vos in cunctis negotiis vestris Margaritam in vobis facite ut cognoscatis, semen in vobis facite ut cognoscatis, quod semen est Christus qui hæreditatis jus obtinet, qui jam surrexit in millibus, qui fiunt hæredes promissi, et hæredes Dei, et hæredes seculi finem non habituri. Unctionem in vobis omnes facite ut sciatis, quæ manet in vobis et tunc non opus erit vobis, ut quis doceat vos, sed sicut unctio ista doceat vos, et ut ista docet vos permanebitis in filio Dei a quo venit, in eo à quo mundus est factus, priusquam factus erat. Regnum cæli in vobis facite ut tandem cognoscatis, quod est simile vel grano sinapis, et omnes illud accipiatis, omnes fietis tanquam pueruli, et ibi deinde sentietis fermentum, quod fermentat vos in novam massam, et subinde scire pervenietis regnum mundi fieri regnum filiij Dei, et hoc est regnum cælorum simile grano sinapis in vobis, quod nunquam peccato dedit assensum, et illud recipiens, fit ut fitis tanquam infantes, et sciatis fermentum quod fermentat vos in novam

massam,

massam, quod mille testantur in Angliâ. Et lucem omnes scitote, quæ lucet in cordibus vestris, quæ datura est vobis lucem scientiæ gloriæ Dei in facie Jesu Christi, in facie Christi unde lux venit, ejus per quem mundus est factus, glorificati apud patrem ante initium mundi, ego sum lux mundi, & illumino omnem hominem venientem in mundum, inquit Christus secundus *Adam*, qui est via reducens ad Deum; homine abdicato a Deo in priore *Adamo*, Christus posterior *Adam*, vita, veritas, via reducens ad Deum, quâ omnis homo veniens in mundum illuminatur; nam homo ablegatus à Deo, ablegatur à vitâ, & ablegatus a Deo, ablegatur a veritate, & ablegatus à Deo ablegatur à sapientiâ ejus, & ablegatus a Deo, ablegatur a justitiâ eus, & à potentiâ ejus, sub potentia Satanæ; ita. Christus potentia Dei per mortem perdit mortem, & eum qui habet potestatem mortis, id est, Diabolum, & est super eam antequam mundus est factus, redemptor humani generis à lapsu, qui illuminat omnem hominem venientem in mundum, ut omnes per eum crederent, & qui jam venit in lucem quâ illuminatur, venit in sapientiam Dei, in justitiam Dei, venit in viam, venit ad Christum potentiam Dei, ad petram, eum per quem mundus est factus, et adeò venit ad vitam et pacem et requiem.

Ille, qui credit, salvatur, qui non ita facit, condemnatur; et qui credit habet testimonium in seipso, et sigillum apposuit quod Deus est verus, qui præstitit promissum ejus, et videt principem hujus mundi judicari, et introivit in justitiam Dei, Christum Jesum; sic Jesus est justitia Dei, is est nova et viva via et unica via ad patrem et omnes multiplices viæ sunt in primo *Adamo*, abacto à Deo, in transgressione; et Christus posterior *Adam* est dominus à cælo et ut mors venit per alterum, per alterum venit vita; et ut tenebræ per alterum, lux per alterum, qui est justitia Dei, veritas, vita; ut injustitia per alterum, justitia per alterum: ut falsitas per illum, sic per hunc veritas: ut multæ viæ à patre per illum, ita una via ad patrem per hunc: per illum est inobedientia, quæ mortem infert, per hunc est obedientia, quæ vitam affert: hunc omnes debetis invenire in vobis, Christum Jesum, nisi reprobi sitis; tunc testabimini substantiam, tum demùm cognoscetis æternum pactum fæderis, tunc demùm cognoscetis principem pacis, principem vitæ, et solatium illius quod professi estis in vobismet ipsis, veniendo in pactum patris. Mors regnavit ab *Adamo* ad mosen, et lex et Prophetæ fuerunt usque ad *Johannem*, *Moses* habuit legem, quæ in omnem transgressionem pervasit, *et* respondebat ei in omnibus, quia

 fuit

fuit transgressa: Verba *Mosis* habuerunt homines, sed fuerunt extra vitam *Mosis*, verba Prophetarum habuerunt, sed fuerunt extra vitam Prophetarum, *Johannis* verba habuerunt, sed fuerunt extra vitam *Johannis*; Christi verba habuerunt, sed fuerunt extra vitam Christi; Apostolorum verba habuerunt; sed fuerunt extra vitam Apostolorum; Apostatæ à diebus usque Apostolorum; Christus quidem in 7. et 24. *Mat.* dixit, quod Pseudo prophetæ et Antichristi venirent, dixit discipulis suis antequàm oblatus fuerat, et dedit ijs indicia quibus illos dignoscerent, quòd essent intrinsecus rapaces, id est, devorantes habentes indumenta ovium, id est, superficiem, lupi tamen nihilóminus; num colligunt homines ex spinis uvas, aut ex tribulis ficus? à fructibus eorum dignoscetis eos: Ante decessum autem discipulorum, quibus Christus prædixit falsos Christos et falsos Prophetas venturos esse, ipsi viderunt etiam tunc venisse in mundum, ut dixit *Johannes* 2. et 4. Pueruli, vobis scribo, quòd ultimum tempus est, de quo audivistis Antichristum venturum, quò sciatis ultimum tempus adesse, jam nunc sunt Antichristi in mundo et exierunt á nobis, ut esset manifestum eos non esse è nobis, nam si fuissent è nobis, proculdubiò permansissent nobiscum; sed ait ille, habetis unctionem, quæ manet in vobis, sanctis, et non opus est vobis, ut quisquam doceat vos, sed sicut eadem unctio docet vos, et, ut ea docet vos, manebitis in filio Dei et patre, et Christus qui dixit esse venturos, præcepit suis ut non sequerentur illos falsos Prophetas et Antichristos, qui forent intrinsecus rapaces, *Johannes* vidit illos falsos jam tunc venisse; dixit sanctis unctionem esse in ipsis, quæ doceret eos; et falsos Prophetas et Antichristos de quibus audivissent tales esse venturos, jam tunc esse in mundo, exijsse ab ijs, et intrinsecus rapaces esse, quos omnes habitatores super terram sequebantur, et totus orbis tandem adoraverunt bestiam et falsos Prophetas, et omnes gentes potaverunt vinum scortationis ejus Apoc. 13. et 17. 18. Professores autem et doctores seculi clamitant, venerunt nunc, et nunc tandem est ultimum tempus; sed nonnè dixit *Johannes*, quòd fuit ultimum tempus quando omnes nationes biberant vinum fornicationis, et omnes habitantes super terram adoraverant bestiam. Dicimus autem nunc populos esse relinquentes falsos Prophetas, eos quos Christus dixit esse venturos, Johannes vidit tunc venisse, qui exierunt ab illis, quos omnes habitantes super terram sequebantur, et omnes nationes biberunt tandem poculum scortationis suæ, et sedet meretrix illa super aquas, et aquæ sunt populi et nationes, linguæ, et turbæ, Apoc. 17. Ubi sedet, linguæ sunt aquæ populi aquæ, gentes aquæ, turbæ aquæ; nam fuerunt procul a petrâ, illi quos Christus dixit esse

esse venturos, et *Johannes* vidit jam venisse, exiisse ab iis; ideóque fuerunt tanquam aquæ; & priorem bestiam, et fore e mari, posteriorem verò e terrâ. Et tota hæc *Babylon*, erectio & dejectio & cunctæ hæ cruces, & imagines & picturæ, & adoratio nominum et Idolorum, & omnes isti Sacerdotes, cum Pulpitis, Decimis, Templis cum crucibus in anteriore eorum parte, & cæmiteriis fuerunt ex illis, & omnis hæc institutio ministrorum arbitriò hominum, per Scholas & collegia, propter avaritiam, sunt inter Apostatas, qui Apostasiam fecerunt à Christi Apostolis & discipulis, qui exierunt gratis, missi ab eo; & cuncta hæc nomina inter populos Christianos sic dictos sunt ex bestiâ & imposita per bestiam non in temporibus Apostolorum, in Apostasiâ, in diebus eorum non data sunt tot nomina Christianis; ita illud quod Christus dixit esse venturum, *Johannes* vidit jam venisse, quod exiit ab illis, quod totus mundus sequebatur, & adorabat bestiam & falsos Prophetas, præter eos, qui habuerunt eorum nomina scripta in libro vitæ Agni ante jactum mundi fundamentum, qui tenuerunt testimonium Jesu, contra quos bestia & pseudopropheta bellum gererent, & vincerent, & mulier fugeret in desertum, & puer masculus raptus esset ad Deum: quod rapax fuit, quod fuit lupus, à vitâ, foris, inversum adversus eos qui asservârunt, vitam, testimonium Jesu, quod est Spiritus: Sed nunc Agnus & sancti victoriam habent, nam omni veniente in mundum illuminato, quicunque decedunt à luce quâ illuminati sunt, intrinsecus rapaces sunt; & ut videtis, hi non fuerunt isti Ethnici vocati, qui ovium indumenta ceperunt, qui exierunt ab Apostolis qui fuerunt inter eos, sed non remanserunt, rapaces, à vita, foris, habentes ovium indumenta, & asservantes superficiem, sed bellum gerentes adversus eos, qui servarunt vitam, qui servarunt Spiritum, testimonium Jesu, & occidentes eos; ibi cæpit Apostasis; inter eos surrexerunt cuncta ista quisquilliarum rudera, cum rapaces fuerunt à vita, foris, non persistentes in consilio Dei, sed constituerunt ministros sua ipsorum voluntate, & Apostatizarunt à vera cruce potentia Dei, & à vera ecclesia, columna et fundamento veritatis, & a veris Apostolis, & erexerunt ecclesiam cum cruce in anteriore parte fastigii ejus, cum pulpitis etiam, & hi sunt, qui induxerunt omnia hæc templa, decimas, sabbata, scholas, collegia, & hi sunt qui contemnunt prophetas, & extinguunt spiritum, & sanctum illum limitant, quod agit illos in confusionem. Ordo & mos Apostolorum est, si quid reveletur assidenti, prior taceat, nam omnes loquamini singuli invicem, ut omnes discant, & omnes solatium habeant. Igitur ab omnibus his Apostatis, & Apostasiâ, Bestia, & numero

mero nominum ejus, & capitibus ejus, & cornibus & coronis, & linguis ejus, & crucibus, & ecclesiis, pulpitis, & doctoribus ejus factis ad arbitrium hominis Deus est educens populum ejus, & Agnus & sancti victoriam habent, (gloria in æternum Altissimo) & æternum evangelium prædicabitur iis, qui incolant terras, nam omnes incolæ terræ adorârunt bestiam, & sequunti sunt eum, qui intrinsecus fuit rapax, quem Christus prædixit venturum, et *Johannes* vidit venisse, qui exiit ab iis & ideò omnes gentes fuerunt tanquam desertum aliquod, ut rubi, & spinæ & tribulæ possint colligi ex illis, & in hoc unusquisque cernat fructus suos, nisi qui habent nomina eorum scripta in libro vitæ, & servârunt testimonium Jesu; nam omnes gentes potârunt poculum scortationis ejus; & hoc fuit id quod bellum gessit in sanctos & vicit eos; nunc autem Agnus & sancti potiti sunt victoriâ super illud, quod Christus dixit esse venturum, *Johannes* vidit venisse, quod totus mundus admirans sequebatur; & nunc est redimens misterium purum, nunc sancti gaudebunt, & sancti Prophetæ, super eam, qui accesserunt ad illud, à quo illa decessit; nunc sanctum tabernaculum testabitur cum hominibus; nunc sancta civitas testata erit, & *Jerusalem* cælestis; nunc clamat spiritus, veni, & qui audit, jubet venire, & sponsa ait, veni, nam Agnus & sancti habent victoriam, & nunc est conjugium Agni, & omni, qui sitit, donabit aquam vitæ gratis. Igitur, omni veniente in mundum illummato, habente lucem ab Agno, vertendo ad lucem quâ Christus Jesus Agnus Dei illuminavit, et credendo in lucem, quæ peccata demonstrabit, per eam Agnum Dei videbitis, qui tollit peccata mundi. Nam omnia hæc templa cum pulpitis, & sacerdotes, & decimæ, surrexerunt citra tempora Apostolorum inter istos qui apostatizârunt ab illis; nam veri Apostoli testabantur contra verum templum quod *Solomon* condidit, & dicebant, quòd corpora sua fuerunt templa Dei; & Apostoli testabantur contra verum sacerdotium, quorum labra deberent asservare populi notitiam, & ejus qui obtulit pro suis ipsius peccatis, & peccatis populi, & testabantur sacerdotium perpetuum, & unicam oblationem, & Christum, thesaurum sapientiæ & cognitionis, qui illuminat omnem hominem venientem in mundum; & Apostolus dixit, quòd lux, quæ lucebat in cordibus eorum, quæ venit ab eo daret eis cognitionem gloriæ Dei in facie Jesu Christi, & eâ luce videbant gloriam, quæ fuit apud patrem ante initium mundi, à quo lux venit, eum per quem mundus est factus; & Apostoli abduxerunt eos à veris decimis, & dixit ille, sacerdotium esse mutatum & legem etiam mutatum, & mandatum abrogatum

abrogatum, quod dedit eis decimas, & Christum venisse filium Dei finem omnium similitudinum & imaginum, *Heb.* 7. Ita ut dictum est, hi sacerdotes, decimæ, templa cum pulpitis facta sunt ad arbitrium hominis citra dies Apostolorum, in Apostasiâ, & omnes istæ ecclesiæ inter quas sunt tot nomina, & varii cultus, & opiniones & conjecturæ, & habentes ovium indumenta, sed unusquisque eorum est ut lupus, rapax, à vitâ, foris, alius alium devorare paratus; ita species pietatis diu fuit inter homines, sed vita & potentia defuit, in quâ fuerunt qui ediderunt scripturas, in quâ habetur unitas, & ab illâ Apostatizârunt; cultus Dei in spiritu & veritate defuit ab hoc apostatizârunt, in quo spiritu ediderunt scripturas, qui est vinculum pacis, in eo est unitas, & cultus patris in veritate, in eo, extra quod est Diabolus, in quo nulla est inimicitia, & omnes igitur, cum fuerint intrinsecùs rapaces, & fuerint foris, à vitâ internâ, lupi fuerunt in indumentis ovium, rapaces, alii alios insequentes ad devorandum, & eorum fructus fuerunt rubi & spinæ; sic professio religionis fuit inter homines, sed vita defuit; in quam Deus nunc est adducens populum suum, ad illud, extra quod omnes illi fuerunt rapaces; quo cernent omnes Apostatas in Apostasiâ, & super omnia eorum capita pertingent, quo videbunt petram, Christum Jesum, pactum lucis, & vitæ & pacis; illud igitur quod de Deo cognosci potest, manifestum est in hominibus, Deus enim ipsis manifestum fecit, ut quando faciunt ea quæ non expedit, quæ non sunt justa, aut morte digna, per illud Dei in ipsis omnes sciunt, & ad illud Dei omnibus veniendum est, priusquàm retineant veritatem in justitiâ, aut retineant Deum in cognitione eorum, aut retineant pactum eius lucis, in quâ est pax cum Deo & cum se inter se; nam Judæi tenebant verum quid, Prophetarum, *Mosis* & Sanctorum verba, sed mentibus eorum reprobatis ab illo, quod de Deo cognosci potest, manifestato in ipsis, quod Deus manifestum fecerat ipsis, tenuerunt in iniustitia, in peccato & inimicitiâ; ita fuit istud seculum: exinde autem seculis subsequentibus, homines tenuerunt verum quid, Christi verba, Prophetarum verba, Apostolorum verba, sed in injustitiâ id est, in peccato in inimicitiâ in uniuscujusq; mente, et adeò est inimicus et scelestis iste inter homines, professores, & Christianos sic dictos, & ita fiunt Synagogæ Satanæ, in inimicitiâ inter se, imponentes nomina alii aliis, congregati in sectas alii in alios, obscænorum incunabula spirituum, draconum domicilia, veritate tamen retentâ, in injustitiâ, in inimicitiâ, quod alios alios occidere facit de eâ; & sic diabolus instigat homines alios alios occidere de religione, luctari contra carnem

et

& sanguinem, interim potentia tenebrarum, spiritualis improbitas regnat, sed non, veri Christiani, non ministri Christo sunt qui ita faciunt, sed sunt omnes extra illud quod de Deo potest cognosci, manifestatum in ipsis, quod Deus iis indicavit, ut fuerunt Judæi, externi Judæi, non interni, externi Christiani, non interni, nam is est verus Christianus, qui habet Christum in se, ut erat verus Judæus, qui fuit internè; ad illud igitur quod potest cognosci de Deo, manifestum in ipsis omnes homines adducendi sunt, antequàm adducantur ad retinendum Deum in eorum cognitione, unde id venit, aut ad retinendum ejus pactum, Jesum Christum, finem Prophetarum, *Abrahami* & *Davidis*, quem Apostoli prædicârunt esse antequàm jactum mundi fundamentum, per quem factus est mundus, antequam factus est; in quo habetis tandem pacem cum Deo, in quo veritas tenenda est, & eloquenda ut est in Jesu, & tunc tenetur in justitiâ, & exprimitur eloquio, in pace; semine Dei producto, & pacto lucis & vitæ testato, Agno surrecto, undè potestates terræ confremiscunt, extra timorem Dei existentes, & Christus Jesus venit ad regnandum idem heri, hodiè & ad æternum, unde omnes Ministri, Doctores, Prophetæ, & Antichristi confremiscunt facti ad arbitrium hominis, & scholæ & Collegia, qui loquuntur divinationem cerebri ipsorum, & non ex ore Domini, & omnes ministri, doctores, prophetæ, pastores, custodes, ductores, viæ & duces populi, qui acquisiverunt Christi prophetarum, apostolorum verba, & qui sunt professores eorum, inventi extra vitam prophetarum, Christi & Apostolorum, cum vitâ Christi prophetarum & Apostolorum iudicantur omnes, quod facit eos confremiscere, quæ vita nunc est manifestata, gloria sit Altissimo in æternum; & Dominus venit ad docendum populum suum ipse per spiritum suum, & ad colligendum eos ab omnibus mundi viis, doctoribus ad se;. Adeóque omnes super terram qui profitentur Christi verba, prophetarum & Apostolorum, sunt confremiscentes contra eorum vitam, quæ nunc est manifesta facta, & sunt confremiscentes contra Christum, qui nunc manifestus est in sanctis suis, Christus idem hodie heri & in æternùm, ita semen Dei est surrectum, gloria Altissimo in æternum, quod semen est Christus in mari et in fæminâ, quo multi mares & fæminæ pervenerunt ad confitendum Christum semen in se, quod est Christus, qui habet promissum, & ita fiunt hæredes promissi, hæredes Dei, hæredes vitæ, & hæredes mundi exitum non habituri; & Gubernatores terræ consulunt contra Dominum & contra unctum ejus, & parvulos eius, ut possitis legere, & ut possint illi legere qui sunt consultantes adversus eum ubi unctio est manifesta, tales sunt ii ubi

occi-

occidunt eum in suo proprio, & sunt ædificatores, qui reiiciunt principalem lapidem angularem, sed lapis qui est abscissus è montibus absque manu contundet in fragmenta caput aureum, & pectus argenteum, Regem *Babilonis*, qui habent aurem audiant; & sic mundus est exclamans pro honore suo, & clamans pro incurvationibus & flexibus suis, & exuentes pileos, & clamant, *Jacobus* incurvavit se ad *Esau*, (*Esau* igitur est dominus adhuc in tales, ut videtur, & non servus,) concessum est fuisse tempus quando *Daniel* incurvavit se ad *Nebuchadnezzarem*, & *Jacobus* incurvavit se ad Pharaonem, conceditur, & fuit tempus, quando *Pharaoh* cum exercitu ejus fuit in mari, familiâ *Jacobi* exultante super eos; & tempus quando *Esau* fuerit ut stipulæ, & *Jacobus* super excelsa terræ inequitans; & *Nebuchadnezzar* dejectus inter bestias comedere gramen ut bos, donec cognosceret Altissimum regnare in regnis hominum, & senior debet inservire juniori; qui habet aurem, audiat. Et quod ad pileum attinet, hic est honor inter homines; honor infrà, & non honor suprà; dum populi sunt quærentes hunc honorem infrà, amittunt honorem qui est suprà, quem Christus jubet quærere, & rogavit eos qui fuerunt istic recipientes honorem mutuum, & quærentes honorem ex hominibus, quomodo possent credere; & dixit prætereà, ego non recipio honorem ab hominibus, ego qui sum lux mundi: Is per quem mundus est factus, qui illuminat omnem hominem venientem in mundum, & non venit ad filios *Adami* abactos à Deo ad accipiendum eorum honorem, sed ad abrogandum eum, & delendum, ad commaculandam superbiam eorum ad delendum honorem, et ad confuscandam gloriam, ad contaminandam formam speciosam; Igitur lux quâ omnis homo veniens in mundum illuminatur, lux in se quæ illuminavit, non vult accipere honorem infrà, sed vult condemnare eum si accipiat, & illa est quæ adducit ad quærendum honorem supernè, & contaminandam gloriam quæ est infrà. Adeo primus *Adam* in transgressione honorem accipit ex terrâ, sed secundus *Adam* non accipit, nec vult lux in iis recipere eum, quæ venit a secundo *Adamo*; ita ut habeo testem in conscientiis omnium hominum super terram, qui non vult accipere honorem ab hominibus infrà, sed a Deo, & is venit supernè.

Et doctores seculi, & Ministri & pastores dixerunt nobis, linguam Hæbræam, Græcam, & Latinam fuisse Originalem, & se esse ministros Orthodoxos ad aperiendas nobis scripturas, & se habere Originalem, cum *Moses* dixit omnem terram esse de unâ linguâ ante *Babel*, & *Nimrod* magnus ille infectator, cujus origo fuit à *Cham*, quem Deus

confu-

confudit in multas linguas, ille fuit origo ædificari Babylonem: & *Moses* dixit, similem mihi Deus suscitabit Prophetam, illum audietis, & cùm hic Propheta venisset Christus Jesus, crucifixerunt eum, & cùm crucifixerunt inscripserunt in literis Hebraicis Græcis & Latinis; hîc autem consistit illud seculi Originale supra Christum, supra vitam, quando crúcifixerunt eum; Initium multarum harum linguarum fuit *Babel*, & *Pilatus* non potuit aperire Scripturas cum Hebræâ, Græca, & Latinâ, sed crucifixit Christum qui est substantia scripturarum, & quando ita fecisset, imposuit multas suas linguas super eum; & *Johannes* dixit in Apocalypsi, redimendi sunt ex linguis, quas nobis dixerunt esse originem, & illud, quod impositum est super Christum cùm crucifixus est, super vitam; nunc autem vita surrexit, super quem fuerunt multæ linguæ, homines Orthodoxi; Christus surrexit qui comprehendit B*abel* & *Babilonem* antequam *Babel* aut *Babylon* fuerunt, qui habuit multas linguas super eum, quæ est mundanis origo; ita vita exorta est super eam, quam posuerunt super eum, & in ipsos, & dicunt esse originem, & quòd cum eâ aperire oportet scripturas, unde omnes concurrunt in confusionem, *Babylonem*; Ita inter *Babelem* & *Babylonem* ambulent, & videant per apertas scripturas, ut multæ linguæ in Christum impositæ sunt, & *Pilatus* non potuit aperire scripturas cum eis; nec nunc quidem possunt aperire scripturas cum multis suis linguis, sed franguntur in cumulos, capita et partes, nam si aperire possent, alius alii satisfaceret, & omnes in idem convenirent, nam illud quod edidit unum est, quod itidem est aperiturum. Igitur omnes populi doctores & professores omnes fiunt cumuli in confusione de verbis scripturæ, dicentes eam esse originem, & *Babelem* obicem invenerunt, nam antea tota terra fuit ex eadem linguá, & steterunt super Christum, & evocatio est ex multis linguis, ex *Babylone*, *Babylon* est exitus earum, & vita est exorta, quæ superbiam suam dedecorat, delet gloriam, confuscat speciosam formam, nam concipiunt superbiam, gloriam & speciem aliquam formosam in linguis suis, quas vocitant originales, naturalibus, & lux ostendit, antequàm B*abel* aut *Babylon* fuerunt, aut Pilatus, in principio, pactum fœderis apud Deum, & quando populus iste imaginârunt ædificare B*abelem*, exiêrunt è vitâ, quos Deus confudit in multas linguas, nè dispergerentur, & Deus dispersit illos, ut disperget cunctas alias congregationes, qui congregantur cum imaginationibus de eo, & sunt conditores, exeuntes autem è vitâ Dei intra eos, et ita à Deo, et illi qui crucifigebant Christum, fuerunt extra vitam, et posuerunt multas linguas super Christum

stum

ſtum qui fuit vita; et illi qui fuerunt *Babylon*, fuerunt illi qui rapaces erant à vitâ ſpiritus Dei in ſe, et abiêrunt à doctrinâ Apoſtolorum in multas linguas, à quibus eſt redemptio, ideóque tolerare nequeunt mentionem de vitâ, et de ſpiritu Dei intrinſecus, et de luce; et hi ſunt qui extollunt linguas; ſed uunc vita erecta eſt ſupra caput linguarum, quæ colligit ad Deum, et oſtendit antequàm *Babel* et *Babylon* fuerunt, aut *Pilatus*; et elatus *Babel* ruet, et fiet domicilium Dæmonum; ſed ſuper omnia vita ſurrecta eſt; quæ præſtat videre ad principium priuſquàm mundus eſt factus, quæ ducit ad pacem cum Deo, quæ aperit verba Chriſti, Prophetarum et Apoſtolorum, et dat unicuique particularem ſuam ſatisfactionem de verbis Prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum, in quâ vitâ, pax cum Deo, cognoſcitur, quæ judicat omnes verba habentes, ſed extra vitam permanentes.

COntundam minutatìm, gentes ut cænum, calcabo in colluviem, Religiones, Profeſſiones, inſtructiones, tempori inſervientes, invocantes me labris ſuis, corde abſente, crapulante in terrâ, ſuperbiâ, hypocriſi & cordis fallaciâ, coeuntes in religionem inanem, concurſus in coacervationes, concurſus turbarum, concurſus quos vocant eccleſias, ſpecioſas oſtentationes, pulchros prætextus, inſtructiones hypocritas, ſibi-concilia, ſtudia avaritiæ, cænum, limum, colluviem reddam. Excandeſcentia Agni exorta eſt in Apoſtatas omnes congregatos in Apoſtaſiâ, Apoſtatizatos à vitâ Prophetarum, à vitâ Apoſtolorum, à vitâ Agni; exoritur Agnus, egreditur Sceptrum, ſtabilitur thronus, cavete omnes quid profiteamini, quæ fundamenta collocetis, concutiemini non exiſtentes in poſſeſſione, exiſtentes extra poſſeſſionem vitæ Dei, Prophetarum & Chriſti Apoſtolorum. Vos divinatores, vos ſomniatores, vos notioniſtas in elegantiis veſtris in aere turbabo ſub grandine; phialæ, plagæ, tonitrua, væ, væ, væ, judicia, in vos ceciderunt, in capita veſtra omnes gentes extra vitam Agni exiſtentes; terrores, tremores, pavores, ſtupores, prehendent hypocritas; pura vita Dei exorta eſt, quæ fuit amiſſa, ab illâ fuiſtis Apoſtatizati, abſque eâ congregati, per eam curcurſus veſtri erunt diſſipati, diſperſi; à vitâ meorum Apoſtolorum, meorum prophetarum fuiſtis omnes diſperſi & Apoſtatizati, et ita verum


Ministerium fuit amissum; verorum Apostolorum vita amissa, verorum Prophetarum vita amissa; falsi Ministri ascendentes, falsi Apostoli ascendentes, falsi Prophetæ ascendentes eorum vice regnârunt. Ovium mearum indumenta habuistis, lupi fuistis; spinas et tribulas tellus vestra produxit, similis eremo incultæ inarata, inter quos sunt tot nomina et cornua, stabilientes vestra ipsorum inventa, intrinsecus rapaces egressi, & apostatizati, sic, teste sepulto, scortati, tum demum sequitur fornicatio; Imminet autem vobis virga omnes gentes gubernatura; buccinæ canunt & cecinerunt, justus dominabitur, Agnus superabit; væ, væ, ærumnæ prodeuntes in capita cuncta improborum, judicia incubuerunt orbi, gloriæ dies apparet et apparuit; Thronus, & sceptrum sempiternum, adest, & attestatus est, et antestat mundo, et respondebit omni quod à Deo est in omni, à quo omnis ad raptum egressus insaviit, ferocitavit & cuncta concilia super terram extra illud, confringentur, illud autem justo in omni respondebit.

FINIS.

---

2 ff. u. ch., 12 ff.

4 8.


THE FOLGER SHAKESPEARE LIBRARY